



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

XVI. In ecclesiis nihil inhonestum aut indecens fieri debere, quo diuinum impediatur aut minus reuerenter audiatur officium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

## XVI.

ANNO  
CHRISTI  
1527.

Cum autem deceat domum Dei sanctitudo, vt cuius in pace factus est locus, eius cultus sit cum debita veneratione pacificus: sit itaque iuxta Gregorii decimi Concilium generale Lugdunense ad ecclesiam humilis & deuotus ingressus: sit in ea quieta conuersatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solum instruat, sed & reficiat. Cessent in ecclesiis vniuersitatum & societatum quarumlibet Concilia, conciones & publica parlamenta. Cessent confabulationes quælibet: cessent vana, & multo fortius fœda & profana colloquia. Cessent postremo quæcumque, quæ diuinum possunt perturbare officium, aut oculos diuinæ maiestatis offendere: ne vbi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.

Mimi non  
intrent ec-  
clesiam ad  
pulsandum  
suis instru-  
mentis.

Prohibemus idcirco, ne histriones aut mimi intrent ecclesiam, ad pulsandum tympano, cithara, aut alio instrumento musicali: neque in ecclesia, aut iuxta ecclesiam suis pulsent instrumentis. Prohibemus insuper, ne fiat deinceps festum fatuorum aut innocentium, neque erigatur decanatus patellæ.

## XVII.

Et cum in ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipiatur, vt fidelium deuotio excitetur, in hoc nocturnum diurnumque officium, & Missarum celebritates, assidue clero ac populo sub maturo tenore distinctaque gradatione cantentur, vt eadem distinctione collibeant, & maturitate delectent. Propterea præcipimus, vt in ecclesiis sint musici cantus distincti ac discreti, mouentes cor ad deuotionem compunctionemque. Porro in ecclesiis prætextu musici cantus non sunt audiendæ publicæ cantilenæ & lasciuiæ. Neque enim, inquit Hieronymus, in tragœdiarum modum guttur & fauces medicamine sunt leniendæ; ne, dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur. Nam vt cantor minister Deum moribus stimulat, cum populum vocibus delectat, ita lasciuius animus dum lasciuioribus delectatur modis, eos sæpe audiens emollitur & frangitur. Curent ergo sacerdotes & clerici sic suos cantus instituere, vt modesta honestaque psallendi grauitate, placidaque & grata modulatione, sic audien-